

www.e-rara.ch

Nodus praedestinationis ex sacris litteris doctrinaque SS. Augustini, & Thomae, quantum homini licet, dissolutus

Sfondrati, Celestino

Romae, 1696

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-26050>

[...] Pars altera.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

N O D U S

PRÆDESTINATIONIS

Triplici ictu solutus.

P A R S A L T E R A.

*In qua ostenditur, nihil opponi posse divinæ Provi-
dentia ex eo, quòd in negotio prædestinationis
quædam sint inscrutabilia.*



ODUS Prædestinationis unum est de Arcanis Divinitatis, quæ homini expedire non licet; Nec minus absurdum est negare Deum, quem omnis natura clamat, quia aliqua ejus opera non capis, quàm si neges vixisse aliquem Poëtam Virgilium, quia aliqua ejus carmina non intelligis; sicut ergo non ideo nullus Virgilius, quia tu rudis; ita non ideo nullus Deus, quia tu ignarus. Imò ideo est

Deus, quia tu ejus opera non omnia intelligis; nam si omnia intelligeres, ille non esset Deus; sicut non esset mare, quo phialâ caperetur, nec Sol, qui à nocturnis videretur, nec turris, quæ à Nano tangeretur; quid enim est homo ad Deum, nisi phiala ad mare, Sol ad nocturnam, & Nanus ad turrim? In Regno Siamorum Rex idiomate utitur, quod nemo ex plebe loquitur, aut intelligit, sed soli Sacerdotes, Aulæque Magnates, postquàm diu didicere. Sicut ergo apud Siameses inditium est Regis, non intelligi à Plebe; ita apud Christianos argumentum est Dei, non intelligi ab homine. Lingua, & arcana Dei Cæli Magnatibus, non aliis patent, & ne istis quidem, nisi post longum in

terris studium tandem in Cœlis didicerint. Et quid dico Cœli Magnatibus? imò isti forsân ignorant, Deo arcani suo parco. Ita Jobus Job 28. v. 21. profitetur: *Abscondita est, inquit, Sapientia ab oculis omnium viventium; volucres quoq; Cœli latet.* Volucres Cœli Angeli sunt: quid ergo sibi promittant volucres terræ, hoc est, homines; quando ne ipsæ quidem norunt Volucres Cœli? An noctuæ cernent, quod Aquilas latet? dicam ergo cum Hilario: (a) *Ego nescio, nec requiro, consolabor ne tamen: Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, secula non tenent, Prophetae non sentiunt, Apostolus non interrogat, Filius ipse non edidit, quis ergo divinabit?*

Ut verd in hoc sacro pelago vela faciam, quantum homini licet, citraque naufragium; tria circa hoc Prædestinationis mysterium expediam. *Primò* ex Sacris litteris, Sanctisque Patribus ostendam, hoc unum esse ex illis Cœli secretis, quæ Deus celata homines voluit, ideoque quæ ab omnibus investigari non debent. *Secundò*. Quàm plurima esse in hoc mundo oculis nostris exposita, quorum causas nemo hactenus invenit; mirum ergo non esse, si remota, & divina homines non capiant, qui non capiunt vicina, & mundana. *Tertiò*. Demonstrationem conficiam, quâ invictè, clareque ostendam, justissimum esse Prædestinationis Decretum.

§. Primus.

Probatur ex Sacris Litteris, Sanctisque Patribus noluisse Deum Mysterium Prædestinationis ab Hominibus explorari.

Primum ergo sit Esdræ (b) testimonium. Huic enim hoc ipsam Ænigma volventi ita Angelus respondit: *Excedens excessit cor tuum, & comprehendere cogitas viam Altissimi. Vade pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem, quæ*

(a) Hilar. l. 2. de Trinitat. prope medium.

(b) Esdræ 4. c. 4. Quamvis non constet, Esdræ Librum quartum esse Canonicum; citatur tamen ab Ambrosio tanquam Canonicus, libro de bono Mortis & lib. 7. in Lucam; & Ep. 71. ad Horatianum & Genebrardus pro Canonico habet in Chronologia c. 90.

quæ præterit. Si essem interrogans te, dicens: quantæ sunt habitatio-
nes in corde maris; aut quantæ venæ sunt super firmamentum; aut
qui sunt exitus Paradisi, diceres mihi fortassis, in abyssum non de-
scendi, neq; in Cælum unquam ascendi. Nunc autem non interrogavi
te, nisi de igne, & vento, & die, per quem transisti, & à quibus se-
parari non potes. Si ergo tu quæ tua sunt tecum coadolescencia non po-
tes cognoscere, quomodo poterit vas tuum capere Altissimi viam?
Quemadmodum enim terra silvæ data est, & mare fluctibus suis, sic
qui super terram inhabitant, quæ sunt super terram intelligere solum-
modo possunt. Hactenus Angelus Eldræ. Sicut ergo frustra, inepte-
que laboraret, qui ignes ventosque ponderare, venas ac sinus Ma-
rium, omnesque fluctus numerare vellet; multoque magis insani-
ret, si ventos, & ignes, ac Mariæ à medio tolleret, darique negaret,
quod eorum naturam, ac pondus assequi non posset; ita planè insani-
nit, qui Dei Bonitatem, ac Justitiam in dubium revocat, quia caus-
sas occultissimas ignorat, metiri ignem non potes, & vis metiri
Deum? undas maris numerare non vales, & numerabis fluctus, ac
tempestates æternæ Prædestinationis? Non potes, non potes: crede er-
go, quod non vides, & adora, quod non capis. Notanda quoque
sunt illa verba. Quemadmodum terra silvæ data est, & mare fluctibus
suis: quasi dicat, quælibet Creatura, & ars limites habet, & termi-
nos suos, quos egredi non potest: silvæ terram, non mare occupant:
tempestates, & naufragia aquis non terris insultant, flores in hortis,
non in arena proveniunt; conchæ in littore, non in pratis leguntur.
Et in ipsis quoque artibus quælibet suis terminis coercetur; quis enim
ferat, suturem de Stellis, Astrologum de saporibus, Philosophum de
bello, militem de coloribus, pingendi que regulis disputantem? Re-
censet Plinius: Magnum Alexandrum, cum Apellem crebrè invise-
ret, & in officina multa de arte pingendi imperitè differeret; comiter
ab Apelle silentii admonitum esse, quod à pueris, qui colores tererent,
videretur. Quamvis ergo magis ridendi, cogendi que ad silentium
sunt illi, qui cum homines sint, ultra homines sapere, ac divina ser-
vari volunt? Sileat de coloribus, qui pictor non est.

Secundò Ecclesiasticus c. 3. v. 22. *Altiora te ne quesieris & for-
tiora te ne scrutatus fueris; & in pluribus operibus eius ne fueris cu-
riosus; non enim tibi necessarium est, ea quæ abscondita sunt oculis tuis
videre, plurima enim supra sensum hominis ostensa sunt tibi.* Quatuor
hæc Spiritus Sanctus rationes insinuat, quæ nos à rebus Divinis exa-

ninandis prohibere debent. *Primò*, inquit, *Altiora te ne quæseris, & fortiora ne scrutatus fueris*, quasi dicat, sicut nemo potest fastigium altissimæ arboris pollice attingere, nec Aquilam altissimo volatu per aëra meantem parvo lapillo ferire, nec implicatissimum nodum imbecilli, ac tremente manu evolvere, ita multoquæ minùs homini fas est, quæ in Cœlis fiunt, humano ingenio metiri; tam enim ista altitudine sua humanas vires excedunt, quàm arbor pollicem; Aquila teli jactum, nodusquæ Gordius invalidam manum. Deinde *non est*, inquit, *tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre*: Si ergo Deus abscondit, quis reperiet? & quanta temeritas, si tu ex infima servorum classe, & ad vestibulum palatii destinatus in superiora irrumpas, sublatoquæ velo, quid in Regio thalamo à Principe fiat, dicaturquæ arbitrari velis? habent Principes arcas, & scrinia, quarum claves committunt nemini; cur hoc non liceat Deo? & cur solus non habeat claves scrinii sui? Ferunt adolescentem quendam Corduba genitum, cum canistrum ferret fructibus plenum, sed velo tectum, obvio amico, quid illic ferret, interroganti promptè respondisse. *Non velâsem, si sciri vellem*. Simile ferè est responsum, quod Tertullianus rerum Divinarum importunis Scrutatoribus dedit. *Quis*, inquit, *revelabit, quod Deus texit? unde sciscitandum est? ergo ignorare tutissimum*. Pergit Ecclesiasticus: *Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi*. Quasi dicat, cogita, quàm plurima esse, quæ hominibus videbantur, fieri non posse, & tamen Deus ostendit, facta esse. Quis credidit posse fieri, ut Cœlum, & Terra ex nihilo, unoquæ verbo formarentur? ut Deus humanâ indutus naturâ, & nasceretur & moreretur? ut virgo conciperet, pareretquæ? ut accidentia panis, & vini sine subiecto velut pila in aere penderent, & sub illis tanquam intra cortinam lateret Deus? ut eadem natura, & una esset, & in Personis trina? ut hominum Corpora consumpta, & in pulveres, in cineres, vermescquæ soluta iterum vitam reciperent morte triumphata? quod Plinio (a) tam absurdum est visum, ut mortuorum Resurrectionem inter *puerilia deliramenta, & vanitates Democriti* referret. Hæc inquam, priusquam fierent, aut futura esse Deus revelaret, incredibilia nobis videbantur, & tamen vera sunt. Ita cum Arcano Prædestinationis: fient, quæ fieri non posse credebantur, utquæ de futuris non dubites, voluit Deus tam multa alia præmittere, quæ fidem nostram superarent, & quæ tamen facta sunt.

Ter-

(a) *Plin. l. 8. C. 55.*

Tertio. Job. 26. Quis poterit scrutari vias ejus, aut quis potest ei dicere, operatus es iniquitatem? memento, quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri: ecce Deus Magnus vincens scientiam nostram. Nota illa verba: Quis poterit scrutari vias ejus? quasi dicat: quemadmodum Leones, cum insequi venatorem sentiunt, vestigia sua arenis impressa turbant, delentque, ne observari possint, sed nec navium per aquas, nec Aquilarum per aëra aliquis unquam iter notavit; si ergo non Leonum, non Aquilarum, non navium viæ exploratæ nobis sunt; quantum minus viæ Dei quas Studiosè abscondit? quid frustra hanc Aquilam insequeris, & hunc Leonem venaris? nunquam iter reperies. Et quis poterit, inquit, ei dicere operatus es iniquitatem? interroga Caimum, interroga Judam, interroga Luciferum, omnesque damnatos, nemo istorum dicet, se injustè punitum, quid ergo dubitas de Justitia illius Judicis, quem ne ipsi quidem rei, damnatique accusant?

Quarto. Ecclesiastis 8. Intellexi, quod omnium operum Dei nullam potest homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole: & quantum plus laboraverit ad quærendum, tantum minus inveniet. Si homo non potest reperire rationem eorum, quæ fiunt sub Sole, quando reperiet rationem eorum, quæ fiunt supra Solem? si non potest homo videre propinqua, quando videbit remota?

Quinto. S. Paulus de hoc ipso argumento agens tandem disputationem omnem hoc epiphonemate claudit: O altitudo Sapientiae, & Scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viæ ejus? quis enim novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Si ergo nemo novit sensum Domini, & nemo illi à Consiliis, & secretis fuit, quanta erit temeritas, judicare de rebus, quas non novit, & quarum consilio non interfuit, cum decideretur? expectemus diem, quæ omnia aperiet, & sententiam interim suspendamus. Idem Apostolus raptum se, ait, in Paradisum, ubi audierit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Si ergo ne Paulo quidem de hoc Arcano Prædestinationis loqui permissum, quantum minus nobis, qui nec in Paradiso fuimus, nec rationes audivimus?

Sexto. Idem Apostolus 1. Cor. de divinis operibus loquens, videmus, inquit, nunc in Ænigmate. Nullum grandius ænigma ut illud Prædestinationis; & in hoc idem fecit Deus, quod olim Augustus, qui cum consilia, & secreta sua vellet occultissima, litteras annulo, gemmaque signabat, cui Sphynx in sculpta: Augustus, inquit

Plinius l. 27. c. 1. inter initia Imperii Sphynge signabat. Sphynx monstrum erat Thebis vicinum, quod viatoribus Ænigmata proponebat, quæ solvi non poterant, quique frustra, nulloque successu tentabant, confestim à monstro necabantur, nec aliud remedium evadendi, quàm à via declinare, solus Oedipus tandem evoluit. Ergo ut olim litteras Augustus, ita nunc Deus grande Prædestinationis Chirographum Sphynge notavit, voluitque Ænigma esse mortalibus insolubile: huic explicando, quotquot accincli sunt, Manichæus, Origines, Pelagius, Calvinus, omnes periere: ipse Spiritus S. mortem induxit, quotquot temerè conarentur, *Qui Scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Videmus ergo nunc, hoc est, dum iter ad Cælum agimus; videmus, inquam, in Ænigmate: noli scrutari, si non vis opprimi; noli ad hanc Sphynge accedere, si Oedipus non es. Narrat Clemens Alexandrinus Diospoli in Ægypto tabulam videri, more illius gentis (quæ figuris pro verbis, litterisque utitur) his imaginibus sculptam: infantis, senis, Acciptris, piscis, & Crocodili (a) Amabò te, si Theologus, si Philosophus, si Astrologus, si Historicus, si omnia es, hoc ænigma interpretare, & sententiam figurarum expone, quod si non potes hoc ænigma Ægypti, quantò minus ænigma Cæli? Quoties ergo Prædestinationem audis, toties cogita ænigma esse hominibus inaccessum, soli que Deo notum, & ideo nec humano ingenio tentandum.

Septimò, Christus denique ipse Joan. 3. *Spiritus*, inquit, *ubi vult spirat, & nescis, unde veniat, aut quò vadat; sic est omnis, qui natus est ex spiritu.* Duplex est hominis Nativitas, Prædestinationis, & Gratiæ, prima concipit, secunda parit: utriusque causa & origines tam incompetæ, quàm ventorum. Sicyonii, teste Pausania, nocte ventis Sacrificabant, ut innuerent, eorum naturam esse scitu difficillimam. Duo in Regno æternitatis flant venti, Aquillo Justitiæ, & Favonius misericordiæ, isto ad æternam vitam, illo ad æternam mortem spirante; sed uterque spirat, ubi, & quando vult. Quis utriusque sit exitus aut origo, unde veniat aut quò vadat, ignoro. Quid remedii? utriusque huic vento noctu Sacrifica, hoc est, crede, quod non vides; nox est ignorantia, sacrificium sit fides. Si ad Austrum pertines,

lau-

(a) Sensus Emblematis Ægyptiaci hic est: ò qui nascimini, & interitis. Deus odit impudentiam. Cyrillus lib. 5. Stromatum. Ægyptiis enim Infans generationem; senex interitum; accipiter Deum; piscis odium, Crocodilus impudentiam signant.

lauda; si ad Aquilone time; semper tamen *Sacrificâ noctis*, tuamque ignorantiam fatere, crede esse iusta, quamvis obscura. Dic cum Davide: *Misericordiam, & Judicium cantabo tibi Dominus*: Misericordia est Auster, Judicium Aquilo, utrumque adora. Hactenus Scripturæ, nunc Patres audiamus. Primò Tertullianus, *Quis*, inquit, *revelabit, quod Deus texit? unde Sciscitandum est? ergo ignorare tutissimum*. Nota illas voces *ignorare tutissimum*; quemadmodum, & papilioni tutissimum est, non accedere ad facem, à qua crematur, & aliò festinanti tutissimum est non ingredi labyrinthum, in quo faciliùs erret, quàm exeat. Ita hominibus, quæ Deus abscondita voluit, tutissimum ignorare.

Secundò. Salvianus *de Provid. l. 3. Possum constanter, & rationabiliter dicere, nescio secretum, & consilium Divinitatis ignoro* (a) Hoc est responsum Philosopho Christiano dignum, quidquid ex me quæsieris de occulto Prædestinationis consilio, respondebo tibi cum Salviano: *nescio, ignoro*. Nihil meliùs dici potest, quoties hæc causa vertitur. Cur Deus non omnes salvet, cum omnes possit? cur non omnibus det gratiam illam efficacem, & triumphatricem peccati? cur tot innocentes ante Baptismum mori permittat, cur modò post quatuor mille annos in Mundum venerit, quadraginta interim Sæculis Idololatriâ totum Mundum implente? cur Luciferum, totque Seraphinorum exercitus labi permiserit, damnaveritque unius cogitationis, unius momenti reos? cur, inquam, hæc omnia? *Nescio secretum, & consilium Divinitatis ignoro!* Neque hæc ignorantia Sapientem dedecet: Sapientis enim est scire, quæ sciri possunt; non autem velle scire, quæ sciri non possunt: Quis enim sapientem dicat, qui artem scire velit volandi sine pennis, & navigandi sine remis, velisque? aut quis unquam Sapientum conatus est oculis sonum audire, aut auribus colores videre? Atqui, ut optimè notat Augustinus, idem est, *Scrutari inscrutabilia, quod velle videre invisibilia, aut fari ineffabilia*.

Tertiò. S. Augustinus in illa Pauli Verba: *O Homo tu quis es &c. Magnum pondus habet, quod dictum est, O Homo tu quis es; nam in talibus questionibus ad suæ capacitatis considerationem revocat hominem verbo quidem brevi, sed re ipsa magna est redditio rationis: si enim non capit hæc, quis est qui respondeat Deo? si autem cap-*

pit,

(a) Idem Salvianus lib. 3. de Gub. *Homo Sum, non intelligo; secretum Dei investigare non audeo.*

pit, minus inveniet, quid respondeat. Quasi dicat Augustinus: Cùm interrogantibus de Prædestinatione Apostolus respondit: O Homo! idem fecisse videtur, quod Apelles, cùm sutori Helenam suam accusanti respondit: O Sutor, ne ultra crepidam! Apelles dixit: O Sutor, Apostolus dixit: O Homo: sicut enim non est Sutoris de Helena disputare, ita nec Hominis de Prædestinatione: O sutor ne ultra crepidam. O Homo, ne supra hominem. Deinde nota illud dilemma Augustino dignum: aut, inquit, Judicia Dei capis, aut non capis? Si capis, iusta invenies: si non capis, cur carpis, & cur accusas? nemo enim accusare, & carpere potest, quæ non intelligit. Si tecum Persicè loquar, & tu Persicè non intelligas, non poteris mihi respondere, nec capere, quæ ego loquor, & quæ tu non intelligis. Si ergo tu non intelligis me Persicè loquentem, quomodo intelliges Deum loquentem, & agentem divinè? Et si non habes, quæ respondeas mihi Persicè loquenti, quid habebis, quod respondeas Deo loquenti, & agenti divinè? Optima ergo, & iustissima Apostoli increpatio, cùm dicit: O Homo tu quis es, qui respondeas Deo? Idem S. Augustinus Tract. 26. in Joannem in illa verba: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum. Nemo, inquit, venit nisi tractus: quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & quare illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. Idem ergo est in causa Prædestinationis, velle judicare, quod velle errare; quemadmodum in Eurippo Bæotiæ Freto perpetua tempestate, & septenis quotidie æstibus turbido, idem est velle natare, quod velle mergi, nec aliud naufragio remedium, quàm ut illuc non intres; Exemplo B. Ægidii, qui rogatus de Arcano Prædestinationis, respondit: Sufficit mihi littus maris ad lavandas manus, & pedes, ac totum corpus, cur ipsum mare ingrediar? hoc est, cur velim scrutari, cùm sufficiat credere. (a) Idem S. Augustinus sermone 20. de verbis Apostoli: Si scrutari inscrutabilia venisti, crede quia periisti, tale est enim velle scrutari inscrutabilia, & investigabilia vestigare; quale est velle invisibilia videre, & ineffabilia fari.

Quarto. S. Gregorius illa verba expendens: Nunquid nostri ordinem Cæli, & pones rationem ejus in terra? Job 38. v. 33. Ad rem nostram ita scribit: Ordinem Cæli nôsse est supernarum dispositionum occultas Prædestinationes videre, rationem verò ejus in terra ponere, & ante humana corda talium secretorum causas aperire, quod
utiq̃

(a) Nierenbergius in Theopolitico fol. 137.

utiq; facere in hac terra positus nemo potest; quia quantalibet quis virtute proficiat, quantacumq; scientiâ excrescat; penetrare non sufficit, quo nos Conditor moderamine judiciorum regat. Nota in hæc verba Jobi, ubi versio nostra latina habet: *Nunquid nōsti ordinem Cœli?* versionem Hebraicam habere: *Nunquid nōsti leges, & statuta Cœli?* ordinem enim, motusq; Cœli, & Stellarum, quæ videlicet superiores, quæ inferiores, quæ noctu, quæ interdum luceant, quæ magnæ, quæ parvæ, quæ & quando oriantur, occiduntq; optimè Astrologi callent. Imò Archimedes omnem Cœli ac Planetarum ordinem, motus, ortum, & occasum in Sphæra vitrea distinctissimè ostendit. Ordo ergo cœli sciri potest, ac etiam in charta vitroq; pingi. Sed leges, ac statuta cœli sciri non possunt: cœlum enim alicubi semper serenum, alicubi semper turbidum est, alibi salubre, alibi noxium. Nunquid mihi causas divinabis, cur semper, ac stabili lege cœlum tam variè in terras influat? cur in sola Ægypto nunquam pluat, cœlo semper sereno? cur in Africa, cum æstas est, summique calores, noctes roribus abundant, frigeantq;? cur in Locris & ad lacum velinum in Italia quotidie Iris in Cœlo spectetur, cur Rhodis, & Syraculis semper aliquâ diei horâ Sol videatur, quamvis alioquin nubilo aëre, & pluviis squallido? Si ergo cœli, quod videmus, nemo leges novit, quantum minùs noverit Leges, & Decreta Dei, quem non videmus?

Quintò S. Bernardus Epist. 189. Nihil magis contra rationem, quam velle rationem ratione transcendere: Nihil magis contra fidem, quam credere nolle, quidquid non possis ratione attingere.

Denique S. Hilarius lib. 8. de Trinitate: *Sapientiæ hæc veritas est, interdum sapere, quod nolis, quasi dicat Hilarius: cogita, quam multa homines faciant affectibus suis, & genio adversa, ut finem aliquem obtineant. Mercatores merces jactant, ut naufragium evadant: Milites vulnera, & mortem ferunt, ut stipendiis, ac victoriâ potiuntur, & ægroti, ut sanitatem recipiant, quam multa faciunt, quæ nolunt? quantum igitur magis fidei, animæq; servandæ causâ, ac in gratiam æternæ veritatis oportet Christianum aliqua sapere, aliqua credere, quæ intellectus nolit. Ægroti amara videtur potio, quam sumit, haurit tamen, fiducia, & reverentiâ Medici, qui illam propinat. Sic Christiano amara videntur cœli Judicia; adoranda sunt tamen fiducia, ac reverentiâ Dei, qui illa revelat. Persuadet tibi Medicus, ut bibas ingrata; persuadeat tibi Deus, ut cre-*

das difficilia. Dicit Ægrotus cum Medico: sanitas est interdum bibere, quod nolis; tu dic cum Hilario: *veritas est, interdum credere, quod nolis.*

§. II.

Multa esse in rerum natura, quæ licet vera, occultas tamen, & inpenetrabiles habent causas, nec ideo falsi accusari possunt. Ergo multò magis idem dicendum de alea Prædestinationis.

Pessima semper fuit illa argumentatio: *Non video, non capio, ergo non est.* Id enim perinde fuerit, ac si noctua dicat: Solem non video, ergo Sol non est. Quodd enim tu aliquid non capias, sæpe ignorantia tua facit, & ideo non res ipsas accusare, sed ignorantiam oportet. Id verum esse hoc paragrapho ostendam, in quatruplici rerum genere. *Primò* in Mysteriis supernaturalibus. *Secundò*. In dispositionibus Divinæ Providentiæ. *Tertiò*. In rebus Naturalibus. Et *quartò*. In consiliis, factisque humanis. Ex quibus optimè inferes: si tam multa ignoramus, quæ vera sunt, mirum non esse, si etiam unum illud, & inpenetrabile Secretum Prædestinationis verum, justumque sit, quamvis non appareant ejus causæ, imò temerarios esse, qui accusant, quod ignorant, cum potius accusare se ipsos, & imperitiæ deberent, quia nesciunt, & temeritatis, quia audent.

Incipiamus ergo à *rebus Divinis*. Jam supra ostendi, multa à Deo facta esse, quæ humanæ rationi videbantur fieri non posse. Nolo repetere, quæ de Creatione, Incarnatione, ac Trinitate disserui. Revoca tantum in mentem originem, & incrementa Christianæ Religionis. Cui unquam venisset in mentem expugnanda Idololatriæ, tot Sæculorum possessione, tot Imperatorum viribus, & potentiâ, tot Philosophorum Libris, tot suppliciis armatæ suffectores duodecim Piscatores inopes, rudes, inermes, ineloquentes, & & suppliciis consumptos? Planè non minus id dignum admiratione, quàm si delendæ munitissimæ civitati, qualis Babilon, aut Ro-

ma fuit, duodecim muscæ accingerentur . Si ego dicerem , Babilonem evertent duodecim muscæ , quis mihi crederet ? at longè incredibiliùs , si totum Romanum Imperium convertant duodecim Piscatores , id tamen factum est . Sed longè miraculum auget , fidemque omnem superat , si consideres , quæ Religio nostra credenda , & faciendâ præscribit . Adorare pro Deo Hominem in stabulo inter Jumenta natum , & in Cruce inter Latrones extinctum , eumque Jovi tonanti , tot victimis , & aureis Templis , & à tot Imperatoribus culto præferre ; imò præ omnibus creatis , & increatis amare , ac pro illo milles mortem , & tormenta perferre : malle præ voluptatibus supplicia , præ opibus inopiam , præ honoribus contemptam , præ libertate servitutem ; nec aliud præmium expectare , quàm speratum , & post mortem ac cineres obventurum Regnum , quod nemo vidit , Civitatem , quam nemo vidit , nuptias quas nemo vidit , Gloriam , quæ nunquam apparuit , & hæc præsentibus delitiis , honoribus , divitiis , vitæque præferre . Hæc dogmata erant nostræ Religionis , quæ aded naturæ , ac sensibus repugnabant , quæque hominibus tam absurda visa sunt , ut eam teste Apostolo pro stulticia reputarent , & hanc tamen toti Mundo Piscatores persuasere . Quis rogo hoc crederet , antequàm fieret ? & tamen factum esse nemo potest negare .

Photinus Philosophus Platonicus , cum apud Gallienum Imperatorem gratiâ floreret , unamque in Campania Civitatem peteret Platonopolim appellandam , & Platonis legibus , quæ sanctissimæ videbantur , imbuendam , nunquam efficere id potuit , cum tamen Christiani non unam tantum civitatem , sed totum orbem implerent , Imperatoribus non tantum non faventibus , sed maximè adversis . Quis unquam antequàm hæc evenirent , sibi persuaderet , plures Crucifixi , quàm Platonis Discipulos fore , & Academiam Crucifixuram ? id tamen præter omnium fidem evenit , duratque tot sæculis . In iis ergo , quæ Deus facit , non est attendendum , quàm aliquid sit nobis creditu difficile , sed quàm nihil sit Deo impossibile . Idem dicas de Prædestinatione . Justum erit , quidquid ipse decernit , quamvis ignores ; sicut facile erit , quidquid ipse faciendum suscepit , quamvis non capias : quàm enim Deus est omnipotens , tam est justus : & sicut omnia illi facilia , quia omnipotens ; Ita omnia illius recta , quia justus ; si ergo credis Omnipotenti , crede & justo .

Narrat Nierembergicus , [a] fuisse quendam Anachoretam , qui

Ii 2

à Deo

[a] l. 2. c. 1. de Divina Pulchritud.

à Deo quotidianis precibus expetebat, vellet sibi ostendere Arcana suæ Providentiæ. Apparuit Angelus Monachum indutus, rogavitque vellet sibi comes esse, aliorum, qui in deserto agebant, cellas invifuro. Primò Monachum adeunt selectæ, & vulgatæ Sanctitatis, ab hoc humanissimè excepti & pasti. Dum à prandio abeunt, clanculò Angelus phialam, quâ aquam hauriebat, subducit. Monachus furto deprehenso adolescentem sequi jubet, qui repetat, quem Angelus fuste aggressus interimit. Postea alterius Monachi cellam pulfant, à quo contumeliis & verberibus affecti pelluntur, hunc phialâ Angelus donat, quam alteri subdlexerat. Tum clienti suo timore, & admiratione defixo: phiala, inquit, quam surripui, furto provenerat, & ideo non decuit, ut à Sancto illo Anachoreta, quamvis furti ignaro, possideretur, dedi ergo illam Monacho scelerato. Adolescentem, quem fuste cecidi, si in proximam noctem vixisset, magistrum suum perempturus erat; præveni ergo parricidium, ut innocens moreretur. *Hæc sunt Judicia Dei*. Dixit, & evanuit. Ita Nierenbergius. Quis rogo hoc Ænigma solvisset, nisi Deus ipse aperiret? Sunt, qui Luciferi casum deplorant, Deumque nimix severitatis postulant, quòd in creatura tam pulchra, & felici unam cogitationem, unumque momentum æternis suppliciis damnaverit. Quòd si istis dicas: Luciferum malle infernum, quàm Cælum, nec veniam optare, quamvis Deus dare velit; non ergo iniuste veniam negari nec optanti, nec accipere volenti; quis hoc crederet? & tamen ita est. Refert enim S. Birgitta in *Lib. Revelat.* Visam à se animam æternis ignibus addictam divino tribunali assistere, ac Judicem sic alloqui: *Quamvis possem salvari, nollem tamen.* Causam rogata: *Ne tu, inquit, aliquod de me gaudium habeas, hæc est enim voluntas mea.* Amabò te, hoc unquam divinasses? Scribit Petrarca [a] & ex illo Spondanus ad Annum 1343. Neapolim immani terræmotu quassatam esse, Cælo pluviis, fulminibus, ventisque horrido, & extrema minante. Tota Urbs ac præsertim Joanna Regina nudis pedibus, comisque solutis in Templum effusa: Mare verò tam sæva tempestate jactatum, ut omnes in portu naves, Nautæque, & qui illis vehebantur, merfi fuerint, ne uno quidem superflite. Sola navis, quæ quadringentos Latrones vehebat, tota ferè nocte cum ventis, & fluctibus luctata, ubi jam rebus desperatis, remis, velisque consumptis naufragium expectaret, subito serenante Cælo, Marique placato

[a] l. 5. *Epist. Familiar. ep. 5.*

cato ad lictus applicuit, ne uno quidem è tot Latronibus mersio. Rogo te, quis hic causam reperiet cœlestis Consilii? Nam si humanis rationibus hunc eventum metiaris; nemo magis, quàm illi Homicidæ, perire debuit. *Sed quis poterit scrutari vias Domini; aut quis potuit ei dicere: operatus es iniquitatem?* Jobi 26.

Qui vidit Susannam duci, & Josephum à Fratribus venditum, ac etiam adulterii convictum, planè conclamatum Innocentiam, & à Deo neglectam diceret: At exitus docuit, non neglectam, sed custoditam fuisse: Nec Joseph regnaret, nisi venderetur, nec Susannæ pudicitiam orbis agnosceret, nisi damnaretur. Ægyptii cum Sacris operabantur, oculis in cœlum fixis ter exclamabant: *O tenebræ, ô tenebræ, ô tenebræ!* hocque Sacrificandi signum, & principium erat. Ita Mysterium Prædestinationis altis tenebris, & profunda nocte involutum jacet, & qui illud scrutari aggreditur, perinde fecerit, ac si densa nocte, extinctisque facibus rerum colores, quos nunquam vidit, distinguere velit. Tenebræ jam sunt, expectanda dies æternitatis, quæ colores, causasque aperiet Divinæ Providentiæ. Nunc aliud dicere Christianis non licet, quàm olim Ægyptiis, cum Sacris, operarentur: *ô tenebræ! ô tenebræ! ô tenebræ!* Exitus ergo Artificem commendabit: nam ne quidem Artifices nostri de suis operibus judicari volunt ab imperitis ante operis finem. Si quis ignarus Medicinæ videat venas secari aliàs è naribus sanguinanti, credat perimi ægrotum, & tamen remedium est. Qui nescit artem navigandi, videatque imminente tempestate navim in altum mare, & à littore agi; dicet, naufragio exponi, & tamen tutior erit, quippe scopulis procul. Pictores tabulam velant, nec aspici volunt nisi finitam, sublatoque sipario. Scribunt Adamum Tannerum celebrem Theologum in itinere, ac rusticano pago morbo correptum fuisse. Morituro vestes, sarcinæque excussæ. Inter alia modicum vitrum repertum, in quo ingens monstrum, horridumque visebatur, quippe cornibus, squammis, alis, spiculo armatum, & mole specieque vasto Draconi simillimum. Ab omnibus conclamatum est, *Dæmonem esse in phiala*, & omnium votis, ac etiam Parochi ad spectaculum vocatis decretum est, si obiret, cadaver prophano loco condendum, veneficio comperto. Tandem supervenit Opticæ peritus, qui cum omnium risu, quem ipsi Dæmonem putabant, scarabæum esse ostendit, Microscopio inclusum, qui que vitri mendacio in grande monstrum evaserat. Si ergo ne quidem artificum nostrorum opera

ab imperitis, & ante finem æstimanda sunt, quantum minus opera Dei? Dies extrema Artificem nostrum absolvet, finemque querelis imponet. Id monuit Apostolus: *Nolite ante tempus judicare, quoad usque Dominus veniat.* Quid minus pro Deo, & quid justius peti potest, quam ut illum eodem jure, quo Latrones, reosque capitis habeas? Nemo Latronem aut judicat, aut damnat, nisi auditum & defensum: tu Deum damnabis, nec auditam, nec defensum? Noli ergo ante tempus judicare, sed expecta, donec à Deo causas intelligas.

Nunc age, examinemus quoque secreta *Natura*. Hæc tam admirabilia sunt, fideinque omnem superantia, ut humanum ingenium etiam minima fatigaverint, imò vicerint, Fuit, qui 40. annos in altissimo monte contemplando motui trepidationis impendit, nec tamen intellexit: Alius magnam vitæ partem mellificio apum in vitreo alveari, nec assequi potuit. Ferunt Aristotelem, cum causas Eurippi duodecies una die æstuantis penetrare non posset, se ipsum aquis hauriendum dedisse. Quid de aliis tam multis dicam, quorum causas nec videmus, nec capimus, & tamen sunt? cur Magnes relictis tribus cœli cardinibus ad solum Borealem vertitur? cur Iris tribus tantum coloribus pingitur, nec unquam orbem integrum absolvit? cur Serpens Fraxini umbram non patitur, & hominis salivâ, velut fervente aquâ cruciatur? cur si quis veneno intreat, nullis ignibus cor ejus cremari potest? cur arbor tristitiæ (nascitur in Malabari Insula, & Indi Parizicata vocant) noctu tantum floret, & Sole tacta comas, floresque deponit? cur Æthiopes etiam extrema senectute nunquam calveſcunt? cur Leo Galli cantu terretur, & corallium infra mare mollis herba, supra mare in gemmam duratur? cur Adamas igni, ferroque invictus hircino sanguine mollescit ac frangitur? & ubi nascitur Nilus tantus fluvius, & tamen tam occultæ originis, ut antiquo proverbio pro re impossibili dicatur: *Fontes Nili querere*; & de quo Claudianus.

Arcanum Natura caput non prodidit ulli,

Amovitque sinus, & Gentes maluit ortus

Mirari, quam scire suos.

Quis, inquam, istarum, & mille aliarum rerum causas aut vidit, aut ratione penetravit? & tamen dubium non est dari, cum effectus videamus: Ita in rebus Divinis justæ sunt causæ Prædestinationis æternæ, quamvis nos lateant; nec mirum est latere, quæ supra naturam, cum, ut ostendi, tam multa nos lateant etiam intra naturam.

Quis

Quis nostram, inquit Tertullianus, scrutari potest apis adificia, formicæ stabula, telas araneæ? Et Augustinus inter communes: Admiratur homo Ecclipsin Solis, quia ignorat interpositionem Lunæ: admiratur Ecclipsin Lunæ, quia ignorat interpositionem Terræ: admiratur adventum fulguris, quia ignorat modum ejus incensionis. Quid ergo novi, si admirari nos oporteat Judicia Dei, quia ignoramus ejus rationes? nihil enim est aliud reprobatio, quam Ecclipsis Divini Solis propter oppositionem humanæ voluntatis: vera est, justa est, certa est, quamvis ignores; quod enim est rusticus ad Ecclipsin Solis, hoc est omnis homo ad Ecclipsin Dei; uterque causas ignorat, & tamen sicut Ecclipsis Solis non ideo est falsa, quia ejus causas ignorat rusticus; ita Ecclipsis Dei non ideo est injusta, quia ejus causas ignorat Christianus. Optimè Seneca de cælo disputans: *Illa, inquit, Arcana non promiscuè, nec omnibus patent, reducta & in interiore Sacrario clausa sunt. Aliud hæc ætas, aliud, quæ post nos subibit, aspiciet.* Idque à Seneca verissimè dictum; nam post sex mille annos à condito Mundo primus Galilæus quatuor, novosque Planetas observavit, qui Jovem ambiunt, quosque Stellas Medicæas appellavit, crebris Ecclipsibus inumbrari solitas. Tres quoque alios Planetas Saturni Comites, aded, ut pro septem Planetis, quos Antiquitas solos agnovit, nova Astrologia 14. detexerit. Taceo novum Mundum, hoc est, Indias Occidentales post sex mille annos nuper à Columbo repertas indicio anniversarii, statique venti ab occasu spirantis; hic jam mille sex annis spiraverat, & tamen solus Columbus agnovit, quid ferret, & forsitan alii quoque Mundi supersunt tam nobis occulti, quam Columbo America. Si ergo in hoc Mundo spectabili tam multa fuere, & adhuc sunt, quæ nos latent, & futuræ ætati reposita, quantum id veriùs erit de rebus illis, quæ planè nos fugiunt, quæque futura post nos ætas in Cælis aspiciet? Reperiri non potest Mundus Prædestinatorum nisi mari transmissis, hoc est finita hujus vitæ navigatione; tunc nostrum quilibet Columbus erit, nunc verò tam ignari Orbis Electorum, Reproborumque vivimus, quam Columbus Americæ, cum Hispali solveret. Ergo expectemus, dum liceat navigare, & in portum appellere.

Finiam hoc argumentum de occultis Naturæ, ubi unicum adjunxero Divinæ Providentiæ, etiam in rebus desperatis pulcherrimum specimen, ex quo intelligas, quantum etiam in Naturalibus ebus Divina consilia ab humanis distent. Est in Oceano Atlantico

inter

inter Canarias, seu Fortunatas Insulas Occidentem versùs una, quam *Ferream*, vocant. In hac nulli fluvii, nulli fontes, nulli rores, nullæque pluvie, sicque aquarum dulcium nulla copia: Incolæ serè sex mille numero. Quis non crederet omnia siti peritura, cælo tam arido? aut quis remedium inveniet? Et tamen providit Natura. In medio Insulæ arbor maxima, densissque frondibus, folium Olivam imitatur, fructus glandem optimi odoris, & aromaticus, 40. pedes longa, & ubi comæ maximè sparguntur, pedes 120. lata. In hanc quotidie sub Meridiem Nubes incumbit, duratque in proximum diem, & Solis exortu evanescit. Ex nube per folia, ramosque tantanta vis aquarum decurrit, ut sufficiat vicies mille amphoris implendis, una verò Amphora quinque hominum siti. Ex puteo per Eurippos, Nilosque in totam Insulam aqua diffunditur, abundatque omnium necessitati. Ita recenset Bethencour Nobilis *Gallus lib. de Insulis Canariis cap. 65.* Petrus Boucher Ordinis S. Francisci: Joannes Verrier Sacerdos, Thomas Nicolaus Anglus, Jacson Anglus testes oculati, & ex istis Sanfon Regis Christianissimi Geographus de Insulis Canariis fol. 64. Quis mihi jam causas aperiet tam miræ rigationis? quòd Nubes quotidie uno loco, certoque tempore, & in unam tantùm arborem subsidat? quòd nec ventis, nec Sole Meridiano dissipetur, ut aliæ nubes, nec consumatur quotidiano, ac tam largo imbreg, quodque exurgat sereno ubique cælo? Deinde si ab aliquo quærerem, qui nunquam hoc natræ prodigium vidisset, legissetque, fieri ne potest illic homines, & Animantes vivere, ubi nulli fontes, nulli fluvii, nullique lacus, & nulla pluviarum copia? quis non responderet, fieri non posse? Et tamen fieri certum est, eamque Insulam habitari, Deo supra hominum fidem providente. Ita, multoque magis fieri credendum est in iis, quæ animam, ac æternitatem spectant; quis enim credat, Deo plùs Insulam, quàm Animas cordi esse? Quàm multi sunt, qui conqueruntur Turcis, Æthiopicis, Persis, Indis, Barbarisque Evangelium, & Sacramenta defuisse, quibus salvarentur, exclamantque: *Heu Insulas ferreas, quibus Cælum nunquam pluit!* Sed interim non intelligunt nullum esse tam Barbarum, cui licet Evangelio, Sacramentis, aliisque ordinariis mediis destituto, alia remedia, alia, & occulta gratiæ auxilia, aliæ nubes singulis mortalibus innatæ non suppetant sedandæ siti, vincendæ concupiscentiæ, ac evitandæ æternæ morti. Ex his nubi-
bus Cornelius Centurio, aliique Gentiles bibère, quos Dens miris
modis

modis ad veram fidem, æternamque salutem vocavit, & exempla abundant, quæ referre nolo. Nemo ergo Deum accuset, quippe nulla Insula tam ferrea, tamque arida, cui Cælum non pluât; nulla Anima tam deplorata, cui non sufficiens, largumque auxilium. Quòd si natura non deficit in necessariis, multò minùs deficiet gratias: nescio modum, sed scio, non deesse.

Quòd si tam difficilè est, causas rerum Naturalium invenire, multò difficiliùs eorum causas, quæ ab hominum consiliis, arbitrioque dependent; & ideo jure optimo Jeremias cap. 17. vers. 9. *Pravum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud?* septuaginta habent: *בַּבְּרִית הַזֶּה*. hoc est: *profundum est cor hominis*: Et verò tam profundum, tamque inscrutabile, ut Theologi doceant, occultas hominum intentiones ne ab ipsis quidem Angelis posse penetrari. Quòd si cor hominis tam inscrutabile aliis, quantò magis cor Dei? Sed aliqua videamus. Narrat Spondanus ad Annum 1204. & plures alii ab eo laudati, Petrum Secundum Arragoniæ Regem ab Innocentio III. Romæ coronandum die Inaugurationi sacra in Vaticano comparuisse auro, gemmisque insignem, excepto Diademate, quod adamantum, & Margaritarum loco pane contextum erat. Nemo aliquis poterat tam novum Coronæ genus ingenio assequi: alii conjectabant, voluisse Regem Populis abundantiam polliceri: alii Concordiam, pane ex multis granis unitisque compacto: alii Regis frugalitatem à delitiis abhorrentis, & populari escâ contenti: alii cultum interpretabantur sanctissimæ Eucharistiæ: alii delirium; alii risum, & jocum. Finitis Sacris causam rogatus; eam dedit, quæ nemini in mentem venisset. Solebat eo tempore Pontifex, cum Reges coronaret, aureum Diadema pedibus stringere, candidatoque imponere. Pudebat Petrum, credebatque infra Majestatem, tam abjectè haberi; ut ergo Pontifex pedibus abstineret reverentiâ panis coronam ex pane delegit. Quis unquam aut videntium, aut legentium hanc causam indagasset, nisi illam Rex ipse depromeret? Recenset Nanus in Historia Turcica: Amurathem Turcarum Tyrannum; cum febri decumberet, vicinaque morte remedia cessarent, jussisse omnia vasa crystallina ingentis pretii, quæque in delitiis habuerat toto orbe quæsitâ ex insperato collidi, nec priùs quievissè, quàm omnia se coram frangerentur. Paulò post sanitas rediit. Quis mihi causam exponat, cur id jusserit Amurathes, subitoque perdi vellet, quæ aded amaverat? An mentis delirio? an quòd hæredibus

invideret, nec vellet alios frui, quibus ipse non poterat? Nihil istorum. Ipse causam aperuit. Solebat ante mortem in crystallo bibere, & semel aded largè se proluit, ut secuta flagrantissima febris, morti præluderet. Rebus desperatis vovit se nunquam deinceps vino usurum; utque incentiva ebrietatis procul haberet, nec elegantiam, visuque crystallo votum abrumperet, comminui vasa, delerique voluit. Age jam verò tu, qui divina experiri, animoque complecti tentas, compone Amurathem cum Deo, pocula cum hominibus: si non capis consilia Amurathis de poculis, quomodo capies consilia Dei de hominibus? Nescis cur Amurathes frangi crystallo jubeat, & scies cur Deus damnari hominem permittat? Nescis, quæ homo agit circa vitrum, & scies, quid agat Deus circa Animam? Ergo in Amurathe, quod primò delirium omnibus videbatur, postea sapientissimè factum apparuit. Referunt quoque de Anaxagora, cum maxima æstate, sereno cælo, & ferventissimo diei sole ludii Olympici agerentur, convenissetque ad spectaculum flos Græcæ Juventutis, intrasse Philosophum cerato pileo, penulaque crassissima, & impenetrabili onustum. Omnes in risum, & sannas effundi, illudebantque velut infano, quòd frigeret ardente cælo, & reliquis omnibus aut seminudis, aut vix levissimo amiculo æstum ferentibus. Sed paulò post densissimæ nubes cælo obductæ, tantaque vis pluviarum secuta, ut Theatrum & homines aquis implerentur, intacto solum Anaxagora, qui aliorum peritus pluvias præviderat, & cujus consilium ante eventum imprudens videbatur; sed post eventum prudentissimum, dignumque Philosopho. Quid de aliis, & occultissimis Mortalium consiliis dicam, quæ non semel aut aliquando, sed passim, & quotidie contingunt? videt aliquis puellam elegantissima facie, gemmis, unionibus, illecebris plenam, totoque habitu amores, & delicias spirantem: videt, inquam, noctu, extinctis facibus, clam, suspensoque gradu ab Eunucho in Tabernaculum, & thalamum duci decumbentis Imperatoris: quis non credat, Thaidem, & Lenam esse? & tamen Juditha est, sancta, innocens, pudica, eademque nocte bellum finitura, hoste obruncato. Videt alius adolescentem comptum, ferro præcinctum, pallioque faciem velante lupanar ingredi, proventa jam nocte: quis non credat Veneris militem? & tamen Theodorus est Christi martyr, Christianam prostibulo educet, mutato cum Virgine habitu, delusaque custodiâ. Videt alius senem talari amictum, capite canis sparso, foroque inambulanti, fasciculos florum manu,

linu-

finūque gestare, ut virgines solent; quis non credat, aut insanire, aut uxorem captare? & Philippus Nereus est, qui ad Insulam vocatus honores fugit, simulato delirio. Manet ergo fixum, ratumque, quoddam probandum initio susceperam, multa in natura fieri, multa ab hominibus, quæ optima sunt, quamvis lateant causæ, primoque aspectu aut impossibilia, aut inconsulta ignorantibus videantur. Idem ergo dicendum de divinis Judiciis, quæ non ideo injusta sunt, quia nobis occulta, imò quia occulta, insanus sit, qui sententiam ferat de rebus, quas non intelligit. Memento, nihil esse naturam, omnesque creaturas, si cum Deo & divinis comparentur: quid enim est Nilus, aut Iris, aut Magnes, aut humana consilia cum Deo, rebusque divinis composita? Tu ergo, qui non capis tam parva, tamque exposita; quomodo capies tam magna, tamque recondita; qui in placidissimo, & minimo iacu nescis cymbulam agere, quomodo velificabis in maximo, & turbatissimo pelago? Et quid agis, cum rerum naturalium causas, & rationes non assequeris? An tibi non sufficit effectum videre, aut saltem ab hominibus probatissimæ fidei audire? Idem ergo fac in rebus Decretisque divinis. Duo hominum oculi sunt, fides & ratio: uterque, aut saltem oculus fidei falli non potest; cum ex adverso oculus corporis mille erroribus pateat. Dicit tibi oculus fidei, Deum existere, & justum ac bonum esse in omnibus operibus suis: idem quoque omnis ratio, omnisque creatura clamat. Tu ergo, qui non dubitas Magnetem semper in Boream, nunquam in Austrum vergeri, quia id oculus tuus dicit; cur dubites, Deum semper bonum & justum esse, nunquam verò malignum, quia id fides, & ratio manifesta docet? An verò de Magnete oculo credes, qui falli potest, & de Deo non credes fidei, apertæque rationi, quæ falli non possunt? Duo testes oculus, & fides. Oculus testis sæpe mendacii, falsique convictus. Dicit solem parvum esse, & falsum est. Dicit Lunam maculis aspergi, & falsum est. Dicit umbram esse nigram, moverique, & id quoque est falsum. Dicit cælum stare, iridem coloribus pingi, aërem cœruleum, remosque aquæ immersos fractos esse, quæ omnia sunt falsa. Tu ergo qui oculo tuo credis testi toties mendaci, cur non magis fidei credas testi semper incorrupto, & nullius mendacii comperto?

§. III.

*Causam Divinorum Judiciorum quærentibus
optima datur, omnique demonstra-
tione potentior.*

NOtat Plinius lib. 21. c. 7. aliquos esse flores, quorum, inquit, odor suavior è longinquo, propius admotus hebetatur, ut violæ, ac liliorum. Ita in rebus ac consiliis divinis, quæ meliùs capiunt, qui minùs, quàm qui nimis accedunt. Id optimè expressit S. Zeno: (a) *Non intelligunt miseri, quoniam curiositas reum efficit, non peritum*: Et ideo Sponsa fugere à se dilectum optabat: *Fuge, inquit, dilecte mi, & assimilare capræ, hinnuloq, cervorum*. Mirum votum amantis! nam quæ homines amare, præsentés volunt, optantq; videre, & amplecti; secùs illa, quæ Deum amat; diligit enim, & fugit: quæ causa tam miri, timidiq; amoris? quia videlicet *curiositas reum efficit, non peritum*. Si causam tamen pertinaciter velis divinæ Predestinationis, ea quoq; in promptu est, tam clara, convincensq; ut clariorem, magisq; invictam ne optare quidem possis. Eam breviter perstringit eloquentissimus Salvianus: (b) *Satis mihi sit, inquit, pro universis rationibus Author, & ordinator Deus. Author in iis quæ facit, ordinator in iis, quæ permittit*. Ex qua Salviani sententia ita argumentamur: Deus est justus, & bonus, ita ut non possit esse injustus, aut malus; ergo ejus quoq; judicia sunt justa, & bona, ita ut non possint esse injusta, & mala. Si ergo ejus judicia justa & bona, ergo nulla causa criminandi: alioquin si tibi hæc demonstratio non sufficit, quæ ergo sufficiet? aut quid ampliùs velis? aperiantur Archivia æternitatis, evolvantur cœli Annales; retexantur longi, funestiq; processus, Tabularia, Protocolla, Libelli, Causeq; damnatorum, & à Deo velut à Judice suspecto, corruptoq; rationes exigantur, cur istum & illum perire permiserit: quid, inquam, in his omnibus fortiùs occurret, pacandoq; animo etiam obstinatissimo

(a) *Lib. 2. de æterna Filii Generat.*

(b) *Lib. 3. de Provid.*

fimo aptius, quàm demonstratio Salviani repetentis: *Satis mihi sit pro universis rationibus Author, & ordinator Deus.* Quoties ergo tu dixeris mihi: quare Deus, qui est tam bonus, permittit tot mala? quare cùm omnium sit Deus, non æquè omnium miseretur? quare ex duobus gemellis fratribus Jacob dilexit, Esau odio habuit? toties respondebo tibi: *Satis est mihi pro universis rationibus Author, & ordinator Deus.* Et si iterum petas, cur non annuntietur Indis Evangelium? cur Persæ non illuminentur? cur Tartaris, Chinisq̃ue tantis Imperiis nunquam emerferit Sol veritatis? Si, inquam, hæc mihi objeceris, iterum, iterumq̃ue respondebo: *Satis est mihi pro universis rationibus Author, & ordinator Deus.*

Si enim demonstratio ex Aristotelis sententia constare debet ex prioribus; quid rogo est prius divina Voluntate, quæ est æterna? Si ex notioribus; quid notius est, quàm Deum justum & Sanctum esse? Si ex necessariis; quid magis necessarium est, quàm nihil esse injusti, nihilq̃ue mali in eo, qui est summè justus, summèq̃ue bonus? quemadmodum in eo, qui est summè candidus, nulla nigredo; & in eo, qui summè calidus, nullam est frigus. Si denique Demonstratio constare debet ex causis conclusionis; voluntas diuina omnes causas complectitur, estq̃ue causa efficiens, exemplaris, finalis, formalis, & subiectiva omnis boni, & reati; aded ut in hoc Enthymemate: *Deus Judam damnari permisit; ergo Judas iuste recteq̃, damnatus est:* conclusio per omne genus causarum probata sit, quod in nulla alia demonstratione reperias. Tu ergo, quicumque es, rationes, & argumenta quære, tu disputa, & dubita; ego securus cum Salviano repetam: *Satis est mihi pro universis rationibus Author, & ordinator Deus.* Si quidem noctu in officinam ducam præstantissimi pictoris, qualis olim Apelles, & Parrhasius, nostrisq̃ue temporibus Rubenius, & Hostenius fuit, subitoq̃ue extinctis facibus à te quæram: dic mihi fodes, hic color est niger, an albus? hæc imago est turpis, an pulchra? hæc tabula est rasa, an picta? quid aliud respondebis, nisi, non possum judicare, quod non video, credo tamen pulchrum esse, quidquid Apelles pinxit. Idem de Deo, eiusq̃ue operibus dicendum. Totus Mundus officina Dei est, & quot homines, tot Dei Imagines; aliæ candidæ; aliæ atro colore pictæ; hoc est, aliæ æternum miseræ, aliæ æternum felices. Nox est Prædestinatio obscura & illunis, & in qua omnem facem humani ingenij Deus extinctam voluit, Si ergo à me quæras: cur Deus hanc imaginem nigram, aliam candidam pinxit? hunc felicem, illum infelicem; hunc vas in honorem, illum vas

in contumeliam? Judam desperantem, Petrum pœnitentem; paucos salvari, multos damnari voluit; imò non voluit, sed tantùm permittit? quid aliud, inquam, respondebo, quàm nox est, faces extinctæ sunt, non video, nec possum cæcus de coloribus judicare, credo tamen pulchrum esse, quidquid Apelles pinxit, & justum esse, quidquid Deus fecit. Summa ergo omnium demonstrationum sit illa Salviani: *Auctor & ordinator Deus.*

Hac ipsa argumentatione tanquàm insuperabili semper usi sunt Sancti Doctores, quoties de Prædestinatione loqui oportuit. S. Gregorius l. 25. *Moral. c. 36. Docemur, inquit, non temerè discutere aeterna consilia de aliorum vocatione attendentes, quod injustum esse non potest, quod placuit justo.* Et S. Paulinus *epist. 38. Non est ambigendum omnia Dei, etsi nobis non sint perspicua, tamen esse consulta.* S. Ambrosius in *Luc l. 4. c. 5. Si Deo non credimus, cui credemus?* quasi dicat: cogita quàm multa credas esse vera, quia homines dicunt, & nisi crederes, omnium risui, & sannis pateres. Credis Geographicis esse veram Americam; credis Navigantibus esse verum in Ægypto Nilum: credis Mercatoribus esse veras in Sinu Persico Margaritas: credis unguentariis verum balsamum in Palæstina ex arboribus fluere: credis Historicis verum aliquem Pompeium, & Cicero-nem Romæ fuisse. Hæc omnia nunquam vidisti, & tamen credis, quia homines dicunt. Amabò te, cur non multò magis credas, æquissima & honestissima, quæ Deus facit, cùm hoc ipsum & ratio, & Deus testentur; quòd si Deo non credimus, cui credemus? aut ergo Deo, aut nulli credendum. Cùm Socrati quædam oblata fuissent à Democrito Philosopho obscurissimè scripta, & ea attentè legisset; rogatus quid sentiret; respondit: *quæ intellexi fortia sunt, puto autem & quæ non intellexi; verùm Delio Natatione indigent.* Sic nos de Deo. Opera illius, quæ intelligis, justa sunt, crede autem, justa esse & quæ non intelligis. Quod permiserit Josephum vendi, ut imperaret; quòd Petrum labi, ut compati posset; quòd accusari Susannam, ut constaret Deum innocentibus subvenire; quòd Latronem in extremis pœnitere, ut nemo desperet; hæc, inquam, omnia, quæ intelligis, justa sunt, crede ergo, etiàm justa esse, quæ non intelligis. Refert Proclus, (a) Hieronem Sicilia Regem construi triremem jussisse ingentis molis Ptolomæo donandam; cùm verò multis laboribus, longoque tempore, ac totis ferè Syracusis frustra nitentibus moveri non posset, & in aquas mitti,

voca-

(a) l. 2. c. 3. in *Euclydem.*

vocatum esse Archimedes: is exiguam, levemque machinam confecit, & Regi navi admovendam dedit, continuo levari navis, & in aquas agi uno Rege & citra laborem nitente. Rapuit Syracusas admiratio, ac Hieronem precipue, qui tota Sicilia edictum in hæc verba vulgari iussit: *Ab hac die, quodcumque dixerit Archimedes, credendum est illi.* Si credendum Archimedi, postquam semel, unoque tantum opere peritiam suam ostendit, quanto magis credendum Deo, qui toties, tantisque operibus toti Mundo, & tibi præsertim Justitiam suam, Providentiam, & Amorem probavit? Quid fecisti, ut te crearet? quid meruisti, ut sua morte redimeret? & quot casibus te incogitantem, imò & hostem eripuit? & post tot Providentiæ, & Amoris sui argumenta cur toto Orbe, omniumque mortalium cordibus non hoc pendeat Edictum: *Ab hac die, de quacumque re dixerit Deus, credendum est illi.* Quid tuâ interest, quid Deus cum aliis fecerit: cur Luciferum, cur Saulem, cur Judam pessumire, damnarique permiserit? hæc aliena & occulta sunt, nec ad te pertinent; cogita potius quid tecum fecerit, ejusque Clementiam & Bonitatem ex iis metire, quæ tibi collata sunt; nulla enim major probatio, quam ex iis, quæ quisque expertus est. Deus ergo, cum nihil esses, fecit ut esses. Et cum posset te lapidem, aut bovem, aut pavonem condere, idque ingens beneficium erat (quis enim non malit lapis, aut pavo, quam nihil esse) cum posset, inquam, te plantam, aut brutum facere, hominem te fecit rationali Animâ, & immortalis præditum: quantumque malum est non sapere, & mori, tantum beneficium fuit Animâ rationali, mortisque victrix donatum esse. Deinde inter ipsos homines, quot sunt cæci, claudi, nani, surdi, mutique? Nihil istorum, quæ tot millibus aliis contigere, contigit tibi. Tu natus inter Christianos, & Fideles, cum tot alii inter Barbaros, & Infideles. Tibi vestiendo, potando, cibando, curandoque omnia Elementa, totque creaturarum millia fatigantur. Quoties cecidisti, & ille erexit? quoties errasti, & ille reduxit? quoties deliquisti, & ille ignovit? quoties reus mortis effectus, & ille pepercit? taceo quod tibi triginta tres annos amarissimè sudaverit, quod tibi sanguinem fuderit non guttatim, & parè, sed torrentis more, quod tibi vitam inter dolores finierit, nullus ita Filium, aut Sponsam amavit, ut ille te. Taceo tot Sacramenta, tot remedia animæ tuæ procurata, tot voces è Cathedra, tot voces è libris, tot voces è cælo missas, inspiratasque tibi admonendo, eximendoque periculis. Et post tanta amoris ejus

indi-

indicia tu velut de re dubia, & peregrina quæris & disputas, an Deus sit bonus? an rebus humanis provideat, perinde ac si aliquis media hyeme frigus, tremensque, postquam diu ad ignem consedit, & calefactus est, soluto frigore, è fociis quærat, verumne sit, quod Philosophi docent, ignem homines calefacere? quid alios interrogas, quæ tu ipse expertus es? Noli ergo de Deo, ejusque Bonitate ex iis judicare, quæ Lucifero aliisque damnatis contingere, hæc enim sunt tibi incòperta, sed ex ijs, quæ tu ipse probasti.

Si Romam quatuor sint viæ, quarum tres optimæ, ab omnibus calcatæ, à te ipso centies emensæ, quæque in Urbem commodissimè ducunt: quarta verò sit invia, præcipitiis, Latronibus oblecta, & quæ nemo pervenit, & tu hanc quartam eligas, quæ pessima est, tribus aliis relictis, quæ optimæ sunt; quis te non dementissimum credat? nam primò nunquam Romam pervenies, deinde certissimæ morti te expones. Ita illis evenit, qui ad Indias profecturi, cum notum tritumque Navigantibus iter Austrum versùs reliquissent, in Septentrionem breviori cursu, sed funesto flexere, quippe omnes frigore consumpti sunt, navibus gelu constrictis. Ita prorsus in causa Prædestinationis. Quatuor ad illam cognoscendam viæ sunt: tres securissimæ; fides videlicet, Ratio, experientia. Fides docet, ratio demonstrat, experientia convincit, Deum in omnibus Judiciis suis justum, & clementem esse. Quòd si his viis relictis tu quartam aggrediaris omnibus inaccessam; occultamque; hoc est, non fide, non ratione, non experientiâ contentus scrutari causas, & arcana velis, planè nunquam hæc viâ prevenies, & medio in cursu vitam, animamque amittes. Clamant omnes Patres, hæc navigari non posse, clamant omnium exempla: periire enim, quotquot hanc viam aggressi gelu & frigore confecti sunt, desperarunt infelices Religionis, Animæque naufragio facto.

Dices: voluntas Dei est tantùm causa Universalis: atqui effectus particulares per solam causam universalem demonstrari non possunt, multoque minùs dubium eximere: Nam si quærenti, cur nix sit alba, non nigra: cur pisces non respirent: cur Gallus cantet revertente Sole; cur Cervi & Boves dentes non habeant? Respondeas, Deum & Naturam ita statuisse; planè rideberis, eritque hæc Demonstratio rustico, quàm Philosopho dignior.

Resp. Aliqua esse, quæ optimè, imò unicè per causam universalem demonstrantur, præsertim cum causæ particulares latent, penden-

dentque ex libera Dei, hominumque voluntate. Si quis navi iter faciat, dubitetque an erret; sufficit omni dubio vincendo, si dicas: *Gubernator hanc viam imperavit, ergo in portum ducit*; præsertim si constet Gubernatorem esse peritissimum viæ, ac sæpissimè illoc iter fecisse. Ita si sententia Mortis in aliquem dicta sit, quique processui non interfuit, dubitet æqua sit an iniqua? sufficiet respondere: Princeps examinata causâ ita decrevit, ergo sententia est justa, præsertim si constet Principem esse iustissimum, & causæ, de qua agitur, scientissimum; talis verò est Deus. Pythagoricis loco omnis demonstrationis erat Pythagoræ auctoritas, sufficiebatque ambigentibus dicere: *ἀυτὸς ἔφα: Ἴψε dixit*. Cur ergo Christianis non sit præ omni demonstratione Autoritas Dei, sufficiatque finiendis omnibus litibus dixisse: *ἀυτὸς ἐκέλευσ: Ἴψε decrevit*? Nec ægrotus causas Medicinæ quærit; nec saucius causas emplastri; sufficit, ut credant, fidantque Medico imperanti. Duo ergo in re aliqua quæri possunt. *Primò* an sit? *Secundò* cur sit? v. g. de Gallo, an verum sit, ejus cantu Leonem fugari? Et quæ causa hujus terroris? ad primam quæstionem affirmativè decidendam sufficit auctoritas Plinii, aliorumque Scriptorum id asserentium, præsertim si accedat experientia, quæ tamen, cum errori obnoxia sint, non possunt me certum reddere. Idem dicas, majorique ratione de divinis Decretis, nam si quæras, an justa sint? justa esse optimè probatur autoritate, & æquitate ipsius Dei, qui cum erroris sit expers, me quoque certissimum reddit, nisi dicas ad fidem hominis faciendam plùs valere auctoritatem Plinii, qui falli potest, quàm auctoritatem Dei, qui falli non potest. Quare autem Deus hoc, illudque decernat, id reconditum est, minusque sciri potest, quàm cur Leo cantu vilissimæ avis effeminetur.

Plura indagare non licet, pendente adhuc velo cœlestis tribunalis. Hæc ergo sit vera, & unica methodus philosophandi de divinis Judiciis, si videlicet credas: *Primò* ita esse secreta & abdita, ut cognosci, multoque minùs ut accusari possint. *Secundò*. Multa etiam naturaliter contingere, quorum causas & rationes non assequimur, quanto minùs assequemur causas & rationes rerum divinarum? Sed & in ipsis Dei operibus aliqua initio ambigua & dura videbantur, quæ iustissima in exitu apparuere; non ergo ante exitum, ultimamque sententiam de illis judicandum. *Tertiò*. Et denique sit *pro universis rationibus Author & ordinator Deus*. Qui in Mysterio

Prædestinationis præter istas rationes alias quærit, is non portum, sed naufragium quærit, priùs peribit, quàm perveniat.

Quòd si tamen ne ista quidem sufficiant; more Areopagitarum tecum agam. Cùm ad istorum Tribunal causa deferretur tam implicata, ut pugnantibus utrimque rationibus nullus exitus, nullusque modus appareret litem finiendi; partes reverti jubebant post centum annos. (a) Ita in negotio Prædestinationis: Si tibi quæ hæcenus dixi sufficiunt; digitum ori impone, causamque perora: Si non sufficiunt, exi Areopago: *Quod Deus facit, tu nescis modò, scies autem postea*, redi post centum annos.

F I N I S.

(a) *Axl. Gellius l. 12. c. 7.*